



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

Ratio V. Ecclesiasticoru[m] obligatio & Fundatoru[m] intentio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

ET si nullā necessitate urgente illicitum est hæreticos tolerare, illisque falsæ Religionis libertatem permittere aut promittere, at, cùm Reipublicæ salus & veræ Religionis conservatio id exigit, quod non est licitum in lege, licitum facit necessitas. c. quod non est licitum. 4. extra: de Reg. Juris.

RATIO II.

Deus mala permittit.

Humanum regimen derivatur à Divino & ipsum debet imitari ait S. Thom. 2.2. q. 10. a. 11. c. Ergò sicut Deus mala permittit ob majus bonum, aut ne sequatur majus malum, ita licet Cæsar & Status Catholicæ libertatem falsæ Religionis permittunt, ne vera Religio penitus intereat. Ex duobus enim malis minus eligi debet. c. duo mala dist. 13.

RATIO III.

Zizania non evellenda.

Divinæ gubernationis exemplum, Christus Zizaniornm parabolâ confirmat Matth. 13. prohibens, ne eradicentur cum periculo tritici, & mandans, ut sinantur crescere usque ad messem. Christo igitur morem gerunt, dum cum periculo tritici nolunt eradicare hæreticos, sed initâ Pace sinunt illos crescere usque ad messem à Deo decretam.

RATIO IV.

Vasa sacra vendi possunt.

Vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet propter pauperes, captivos, ædificia templorum & coemeteriorum c. aurum 12. q. 2. ergò prædia quoque, pagos & oppida Ecclesiarum hæreticis cedere & transcribere fas est ad redimenda extrema mala, & pericula Imperii & Religionis.

RATIO V.

Ecclesiasticorum obligatio & Fundatorum intentio.

Ecclesiastici ut præcipua Imperii membra & Religionis An-tistites ad utriusque conservationem vel maximè obligan-tur. Si igitur Pax aliter obtineri nequit, nisi cessione aliquot bonorum Ecclesiasticorum eam recusare non debent, cùm præsertim præcipua Fundatorum fuerit intentio Religionis conservatio.

RATIO VI.

Necessitas facit omnia communia.

In necessitate omnia sunt communia jure natura teste S. Th. 2. 2. q. 65. a. 7. adeò, ut in casu extrema necessitatis posse & de-beat aliquis etiam auferre aliena, ut patri subveniat teste eodem q. 62. a. 5. ad 4. Quod cùm in necessitate publicâ, præsertim Religionis, multò magis locum habeat, quām iu privatâ, cen-sendum est ea bona Ecclesiastica, sine quorum cessione Pax sperari non potest, facta esse communia toti Imperio, & ceci-disse sub potestatem Cæsarî & Statuum, ut Pacem inde redi-mant.

RATIO VII.

Absque hoc remedio PAX desperanda.

Vel cedendum est Religioni & Ecclesiasticis, vel Pax despe-randa Germanis. Negatâ enim Religionis libertate, & o-mni bonorum Ecclesiasticorum cessione Pacem nullam ad-mittent Protestantes. Non est autem congruum divinæ pro-videntiaz, quod Deus Cæsari & Statibus potestatem eripuerit, remedii tam necessarii, & nos in necessitatem belli æterni con-jecerit.

RATIO VIII.

Bona intentio.

Cæsar & Status Catholici optimâ intentione conservandi Religionem ejusmodi Pacem sanciunt, mala autem per accidens evenientia, aut hæresis promotionem vel approba-tionem